

& serio factae pronuntiatur. p. 11. de se ipso scribit
 Dn. PFAFFIUS: Nos sententiam nostram du-
 dum expressimus de Origin. Iur. eccles. p. 224. ubi:
 Cum absolutio, maxime prout in Ecclesia nostra Wir-
 tembergica obtinet, sit conditionata, patet omnino, eam
 nonnisi generalem quandam gratiae divinae annuncia-
 tionem esse, quae & pro ratione eius, cui annuntiatur,
 ita potest debetque inflecti, ut, quisnam ipsius status
 spiritualis sit, quid ipsi ad mentem vitamque bene con-
 stituendam sit necessarium, luculenter heic eidem pa-
 teat. Idem repetimus in Instit. Theol. dogm. P. 3.
 S. 2. de cultu publico p. 461. ubi: Bene tamen se ha-
 bet, quod Absolutio apud nos, prout natura rei fert,
 PRORSUS SIT CONDITIONATA, atque eiusmodi re-
 rum explicationibus, eiusmodi & clausulis, id quod omni-
 no necessarium est, ita dilui possit, ut ab omni securita-
 te carnali & falsa status gratiae imaginatione peccator
 omnino abstrahi atque tota res ita informari possit, ut
 absolutio vel tandem in nuda gratiae universalis annun-
 ciatione consistat, hominique nondum mutato dicatur,
 expensa esse Domini ad ipsum in gratiam recipiendum
 brachia, luculentam omnino optimi Salvatoris miseri-
 cordiam ipsi affulgere, restare id unicum, ut in oscula
 Salvatoris ruat, converti se ut patiat, ut ordini
 salutis divino se subjiciat, qua ratione dein certus de
 remissione peccatorum suorum esse potest. p. 14. hæc
 habet Dn. PFAFFIUS: En, quid aiat hic BAL-
 DVI-